

COMPOSITIONES CIII—CVI

ab eo, quod exsiccat omnem stomachi humorem. scimus quosdam urnas aquae bibisse neque ideo sitim aliqua ex parte in praesentia compescuisse. ad hoc X p. I vel victoriati datum ex aquae cyathis tribus frigidae ita prodest, ut facile abstinere ab aqua proximis diebus possint. lienosis vero 5 ex posca et iocinerosis duritiam habentibus diutinam ex aqua mulsa satiis convenit nec minus hydropicis, quibus datur eadem ratione; sed his per complures dies oportebit ptisanae cremorem sine ullo alio liquore dari.

CVI. Prodest compositio haec et colo inflato et ceteris intestinis. futuras quoque vel iam factas vomicas iisdem partibus aut discutit aut cele-
rius aperit; item menstrua movet mulieribus, quae difficulter purgantur.
dandum autem erit his ex aqua medicamentum, in qua decoquitur herba,
quae artemisia dicitur aut quam dictamnon appellant. etiam ad papulas
et sacrum ignem vel quam zonam vocant bene facit ex aqua mulsa detrac-
to prius sanguine, si res postulaverit, ut et in aliis omnibus superius dic-
tis faciendum est. omnia enim auxilia adhibenda sunt, quae ex usu prod-
esse eis comperta habemus, quia facilius adiuta antidotos adiuvabit et
effectus suos exhibebit. recipit autem haec: stycadis, marrubii, chamae-
dryos, quae herba similia quercus folia habet, agarici, cucurbitulae sil-
vestris, quam colocynthidam appellant, singulorum X p. X, opopanacis,